



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Septem Illustrium Virorum Poemata

Amstelodami, 1672

Ad Eumdem, De lacrymis Deorum edisserentem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11215

Subblandientis acta vi Cupidinis,
 Injuriosa fata Cypris reppulit?
 Sed nos querelis quid fatigamus Deos?
 Summum Deorum facta crimen conqueri.
 Olim (& quis hoc non credat?) alma cœlitum
 Venus voluptas, alma pulcritudinis
 Dea, ut puellis usquequaque blandula
 Catella sivevit assidere bellulis,
 Habere & ipsa concupivit candidam,
 Quicum jocosa lusitet, caniculam.
 Nulla at peractis procreata sæculis
 Amore digna cœlitum canicula est.
 Modo ista amori destinata Cypridis
 ALDINA venit bella in auras luminis.
 Vifam sibi hanc repente Diva furripit,
 Qua nulla posthac pulcior videbitur.
 Ergo, Aleander, jam dolere desine.
 Ne tu occidisse crede quam desideras,
 Fallacis umbram dum vides imaginis.
 Sed gaude, & ultrò gratus offer muneri
 Divæ, lepores quæ tibi dedit suos:
 Quæ nunc magis magisque amica permanet
 Tibi, venustatemque, & omnem cœlitum
 Pro munere isto comparavit gratiam.

A D E U M D E M,

De lacrymis Deorum edifferentem.

FLerent dolentes fata si quando aspera,
 Guttis per ora lucidis manantibus
 Serena Divûm lacrymasse lumina
 Prisci Poëtæ tradidere temporis.

B 2

Ve-

Verùm nefanda ex quo perosi crimina ,
 Imbuta queis iniqua ferri sæcula ,
 Contaminato subtrahunt se aspectui ,
 Videre nulli fas fuit mortalium
 Mirabiles quæ cælitum sint lacrymæ :
 Nunc tu , Aleander , perspicaci acumine
 Obducta visum tendis ultra nubila ,
 Cælumque lustras penitus : en , quòd videris
 Non usitato more flere numina ,
 Non usitatâ edisseris facundiâ.
 Euge ô beate ! Tu tenebras discutis ,
 Lumenque portas , quo nitentes lumine
 Verè Deorum lucidæ sunt lacrymæ.

IN BIBLIOTHECAM
 F R A N C I S C I
 B A R B E R I N I C A R D .

PRæceps furentis orbe dum ruit toto
 Procella Martis , jamque terror incessit ,
 Calidaque cædes undique imbuit campos ;
 Ab imminente vastitate quo fervet
 Trepidæ Camœnas , literasque palantes ,
 Sacri Senatus columen , & decus magnum
 FRANCISCUS , arcem providâ pius curâ
 Munivit , ornavitque , vimque congestit
 Studio , labore , dexteraque regali
 Huc aureorum maximam libellorum.
 Vos hinc procul sæcessite in malas oras

Blattæ